



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma literarum Domini temporalis, quas debet impetrare Inquisitor  
nouiter institutus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

# INCIPIT TERTIA PARS DIRECTORII INQUISITORVM,

*Cum Comentarijs Francisci Pegne Sacre Theologie & iuris  
vtriusque Doctoris.*

**T**ERTIA Pars huius Directorij officij Inquisitionis est de practica huius officij, qualiter scilicet, sit ipsum officium exequendum, & hic oportet tria videre. Nam primo videndum est, quomodo & qualiter inquisitionis processus hereticę prauitatis sit incipiendus. Secundo, quomodo & qualiter sit median-  
dus. Tertio, quomodo & qualiter sit sine debito terminandus.

## QUOMODO ET QUALITER PROCESSVS IN CAUSA FIDEI EST INCIPIENDVS.

**Inquisitori de nouo instituto quid  
agendum.** A no temporalis, si & prout melius poterit, huiusmodi litteras saltem in substantia, & effectu tenoris sequentis.

**P**RIMO est videndum, quomodo, & qualiter processus in causa fidei est incipiendus. Vbi considerandum est, quod quando Inquisitor est a domino nostro Papa, vel ab alio eius vice, de nouo institutus in aliquib. regnis, vel terris.

In primis debet se presentare Regi, vel domino temporalis illarum partium, vel terrarum, in quibus est Inquisitor a Sede Apostolica deputatus, & facere sibi de sua commissione Apostolica plenam fidem, & post eidem supplicare, & exhortari, quod habeat eum, quo ad suum officium commendatum, prestando sibi (cum opus fuerit) consilium, auxilium, & fauorem; Exponendo eidem, quod ad hoc tenetur secundum canonicas sanctiones, si fidelis haberi cupit (prout debet) & vitare vult multiplices penas iuris, quae continentur in capit. Ad abolendam, de heretic. libro quinto, & in capit. Vt inquisitionis, de heret. libro sexto.

Inquisitor si de Domino temporalis de sua institutione faciat.

Litteras fauorabiles ab eo impetrare studeat.

Quibus factis, petere debet litteras salutariae & protectionis a praedicto domino temporalis, pro seipso Inquisitore, & eius socio, notario, & familia sua, ac bonis eorum: quae officialibus illius domini dirigantur, & nihilominus quod dicti officiales Inquisitori pareant in capiendis hereticis, credentes, receptatores, defensores, fautores, ac de heresi diffamatos; ac in executione facienda contra praedictos faciant omnia & singula, quae ad eorum officium spectant, pro extirpanda heretica prauitate, & extollenda catholica fide, quando & quoties ab Inquisitore, vel eius nomine fuerint requisiti. Et habeat ipse Inquisitor ab ipso rege vel principali domi-

Forma litterarum domini temporalis, quas debet impetrare Inquisitor quando est nouiter institutus.

**N** Dei gratia Rex talis regni, dilectis, & fidelibus vniuersis, et singulis officialibus nostris, & eorum locatentibus vbi libet infra dominium nostrum constitutis, & constituen-

dis, ad quos praesentes peruenerint. Salutem & dilectionem.

Cum Religiosus, dilectusque, noster frater N. or-  
dinis fratrum Praedicatorum Inquisitor hereticę prauitatis in regnis, & terris nostro domino subiectis a sancta sede Apostolica specialiter delegatus pro Dei seruitio, & cultu, seu relaxatione sanctae fidei orthodoxae, utque ipsum haeresis detestabile crimen a dictis partibus, quibus praesidemus (si forte san alicubi vigeat, siue inoleat) valeat extirpare, ad loca seu ad partes nostrae iurisdictioni subiectas, & vobis commissas declinare quandoque habeat, seu etiam proficere: Nosque, velut princeps catholicus, qui de manu Altissimi multa bonorumque honores recognoscimus recepisse, in praedictis, & alijs, quae diuinum concernunt obsequium ipsi Deo conditori omnium placere (ut conuenit) plurimum cupientes, intendamus, immo & volumus omnino fauorabile dare locum, ipsumque Inquisitorē tanquam speciale Dei ministrum nostris prosequi gratijs, & fauoribus oportunis: Ideoque vobis, & vnicuique uestrum dicimus, & expresse praecipiendo mandamus, sub pena nostrae gratiae & mercedis: quatenus quotiescunque dictum fra-

tratem



trem N. Inquisitorem pro exercendo dictū offi-  
cium, ad dicta loca seu partes vobis commissas  
contigerit se transferre, & pro vel super prædi-  
ctis secularare brachium inuocando, vestrum auxi-  
lium postulare; eūdem N. Inquisitorē  
favorabiliter admitatis; capiēdo seu capi faciē-  
do quoscunque dictus Inquisitor de memorato  
facinore suspectos, aut diffamatos nouerit, seu et  
hæreticos quoscunque; vobis duxerit nominādos:  
& captos etiam detinendo: & infra<sup>d</sup> iurisdic-  
tiōe vestram ad locū, de quo dictus Inquisitor vo-  
bis dixerit ꝑ deducendo: nec non pēna debita ple-  
ctendo eosdem, sicut ipse decreuerit, & est fieri  
consuetum: si videlicet quando, & quoties, &  
prout Inquisitor vos duxerit requirēdos. Vt au-  
tem Inquisitor præfatus suum Inquisitionis of-  
ficiū securius & liberius exercere valeat, nostro  
suffultus præsidio & fauore, Inquisitorem eūdem,  
eius locum, ac eius notariū & familiam, res &  
bona eorū sub nostro speciali guidaticō, culto-  
dia, & commenda ex nostra regali clementia be-  
nigne recipimus, cum præfenti Mandantes vobis  
(vt supra) quod guidaticum seu protectionem  
nostram huiusmodi dicto Inquisitori, eius locio  
notario ac familiæ, & rebus eorū inuolābiliter  
obseruando, nullam iniuriam, nullamq; dispen-  
dium, grauamen, aut damnum aliquid eis infer-  
ri in personis, aut bonis a quoquam permittatis:  
quinimmo prouideatis eisdem de securo con-  
dū, & transitu, si & prout per iam dictū Inquisi-  
torem inde fueritis requisiti. Datum in tali loco  
sub nostro sigillo in pendentis, tali die, mensis ta-  
lis, anno tali.

Quibus litteris sic obtentis pariter & acceptis  
accedat ipse Inquisitor ad Archiepiscopum seu Me-  
tropolitanum, Archiepiscopos seu Metropolitanos  
illius provincie seu illarum provinciarum, ad quā  
vel quas extitit deputatus, & de commissione Apo-  
stolica sibi in fidei causa facta, etiam faciat plenā  
fidem: & consimiliter se habeat ad omnes et singu-  
los Episcopos, seu eorum vicarios illarum diocesis,  
ad quas extitit deputatus, antequam in eorū dice-  
sibus suum officium exequatur; quod de commissio-  
ne sua eis fidem faciat certiorē. Nam alias si au-  
te fidem factam suum officium exequatur, poterit  
& merito tam per prælatos, quā per dominos tē-  
porales in suo officio molestari, ac etiam retardari  
pariter & requiri ne amplius procedat, quousq; de  
commissione Apostolica sua eis fecerit plenā fidem.

Sicque fide facta prælato illius diocesis, in qua  
voluerit suum officium exercere, præfentet litteras  
præfatas domini regis, seu domini tēporalis officii-  
libus suis in illa dicta diocesi, in qua disponit exe-  
qui suum officium antedictum, requirens eos, quod  
iuxta mandatum eis factum, capiānt, vel capi faci-  
ant delatos de heretica prauitate, ac faciāt ea om-  
nia, quæ ad eorū spectant officii: cū ab ipso Inquisi-  
tore seu eius nomine vel mandato fuerint requisiti.

Sicque facta fide de sua commissione & prælato,  
& domino temporalis, ac præfentato mandato dicti  
domini tēporalis eius vicarijs, balliuis, seu alijs of-  
ficialib. regimen habentibus, & potestate capiēdis  
& retinēdis, quibusuis nominibus ceuseantur, potest

**A** Inquisitor ipse, si vult, iuxta c. Ad abolendam. §.  
statuimus, de heret. lib. 5. & c. Ut officii. §. statui-  
mus, de heret. lib. 6. exigere ac petere iuramentum  
ab officialibus prædictis domini temporalis, de de-  
fendendo Ecclesia contra hereticam prauitatē, &  
ipsi Inquisitori parendi iuxta officium ac posse sum  
ac eos citandi, quatenus coram eo compareant per  
litteras tenoris sequentis.

COMMENT. I. Num. 1.

**I**N primis debet se præfentare Regi, vel do-  
mino temporalis, &c. Traditurus Emericus  
quocunque; ad peragendum heresis causam spectant;  
a iudice orditur, docens eum quid facere debeat cū  
primum est institutus, accedūq; ad gubernandam  
provinciam sibi creditam. hinc vero locum tractat  
eriam Tabiensis in sum. verbo, Inquisitor. §. 10. nu-  
me. 11. & S. manca de cath. iustit. tit. 44. de ordi-  
ne procedendi. nu. 1.

Neque hic ordo discepat a iure communi: nam  
in l. obseruare. ff. de offic. proconsulis: ita cauetur:  
Antequam vero fines provincie sibi decretæ pro-  
cōsul ingressus sit, edictum debet de aduētū suo  
mittere, &c. Sed Emericus in his alterius fortas-  
sis sanctionis doctrinam sequitur: nam in concilio  
Biterrensi c. 1. de hoc ordine obseruando ita sanc-  
tur: Consulimus, vt intra terminos inquisitionis  
limitatæ vobis ad locum, de quo expedire videri-  
tis, iuxta mandatum Apostolicum declinetis, vt  
inquisitionem de illo, vel de locis alijs faciatis,  
cum tutum non sit vos ad loca singula declinare  
atque ibi conuocatis clero & populo, & propo-  
sito verbo Dei, mandatum vobis factum, & ad-  
uentus vestri causam, lectis litteris, quarū aucto-  
ritate procedere habetis, sicut oportere noueritis  
exponatis. hæc ibi.

Neq; ab his differt admodum hodiernus vsus; nā  
Inquisitores quamprimum provinciam sunt ingres-  
si, litteras delegationis, quibus creati sunt Inquisi-  
tores, ostendere debent capitulo maioris Ecclesie, et  
consistorio ciuitatis, vt notum sit eos in crimine he-  
resis iudices esse. Conradus Brunus lib. 1. de legat.  
c. 8. cauetur etiam in Hispania prima instructi. Hi-  
spalen. cap. 1.

Quibus factis petere debet litteras salutæ  
guardiæ, &c. Sape monui, Emericum in hoc ope-  
re vti solitum vocibus vulgaribus nationis nostræ.  
nam quod latini asylū, vocant, Hispani saluaguar-  
diam dicunt, Itali franquiziam, ergo litteras sal-  
uaguardiæ, hic intellige tutricas & adiutricas litte-  
ras, seu, vt idem dicit, litteras protectionis, quibus  
iubetur exhiberi Inquisitoribus omnis immunita-  
tis & fauoris plenus thesaurus.

**E**undem fratrem N. Inquisitorem fauora-  
biliter admittatis, capiēdo seu capi faciēdo quos-  
cunque, & c. Hoc ipsum præcepit cunctis seculi  
magistratibus Federicus Imperator, in l. commissi  
nobis. §. 3. quam inter litteras Apostolicas in fine  
huius operis curauimus imprimēdam, in hæc verba  
Præterea quicumque heretici reperti fuerint in  
ciuitatibus, oppidis, seu alijs locis Imperij, per  
Inquisitores ab Apostolica sede datos, &

Inquisitori i-  
gre sso in pro-  
uinciam sibi  
decretā quid  
primū facien-  
dum.

Num. 2.  
Litteræ salutæ  
guardiæ quæ  
dicantur.

Num. 3.  
magistratus  
iussa Inquisi-  
torum cape-  
re & custodi-  
re tenentur  
hæreticos.





alios orthodoxos fidei zelatores; hi qui iurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum & aliorum catholicorum virorum insinuationem; eos capere tenentur: & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condemnatos damnabili morte peribant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant. *hæc ibi.*

Et eos ducere quo Inquisitores voluerint.

d Et infra iurisdictionem vestram ad locum de quo dictus Inquisitor vobis dixerit, deducendo. *Desumptum videtur ex rescripto Innocentij IIII. incipiente: Ad extirpanda. §. teneatur, et primo, ubi magistratibus secularibus hoc præcipitur in hæc verba: Teneatur autem Potestas, seu Rector quilibet in expensis communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocumque; diœcesanus vel eius Vicarius in iurisdictione, vel districtu diœcesani Episcopi seu ciuitatis, vel loci voluerit illos duci. hæc ibi, quæ verba tametsi solis episcopis & eorum Vicarijs, hanc præcipiendi hoc facultatem tribuere videantur, Inquisitoribus etiam competunt, vt initium et series eius rescripti indicant, declarauitque etiam Clemens IIII. alio rescripto incipiente: Ad extirpanda. quod est relatum inter litteras Apostolicas in fine huius operis.*

Inquisitores ab omnibus debent protegi & defendi.

e Vt autem Inquisitor præfatus suum inquisitionis officium, &c. nostro suffultus præsidio et fauore, inquisitorem eundem, &c. benigne recipimus cum præsentem. *Hoc ipsum præcepit Federicus Imperator vniuersis præsidibus tam ecclesiasticis, quam secularibus in l. commisso nobis. §. 10. in hæc verba: Ad hoc notum fieri volumus, fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperij nostri contra hæreticos deputatos, ceteros quoque qui ad hæreticos iudicandos accesserint, & uenerint, nisi aliqui eorum ab imperio sint præscripti, eundo, morando & redeundo, sub nostra & imperiali defensione, speciali recipimus: & quod apud omnes sub ope & recommendatione fidelium imperij esse volumus offensos; vniuersitati vestræ mādantes, quatenus quocumque, & apud quemcunque vestrum peruenerint, benigne recipiatis eosdem: & personas ab incurfu hæreticorum eis insidiantium cōseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis pro tam acceptis coram Deo negotijs exequendis. hæc tenens ibi. ex quibus Emericus hanc scribendi præxim subtiliter accepisse videtur.*

forte, omnibus.

f Mandantes vobis (vt supra) quod guidaticum seu protectionem, &c. *In Directorio Sabellano paulo fauorabiliora leguntur hæc, in hunc modum: Mandantes vobis, vt dictum Inquisitorem, eius socios, notarios, & familiares, ac eorum res & bona ab huiusmodi guidagij, datij, portibus, ac ab alijs oneribus, & grauaminibus liberos, & expeditos esse faciatis, nõ permittentes eos pro huiusmodi aliquid soluere, aut eis damnũ aliquod a quocumque inferri, siue pro personis siue pro rebus: quinimmo prouideatis eisdem de securis transitu & portu, ac custodia, aut guidagio, sicut per eundem Inquisitorem fueritis requisiti. hæc ibi, quæ privilegia exemptionum & immunitatum satis videntur colligi ex præcitata Federici lege.*

A Et plane iustissimum est & æquissimum, vt Inquisitores, & eorum res & bona istis immunitatibus fruantur: nam si Doctoribus & Scholaribus ratione publicæ utilitatis concessum est, vt ab omnibus muneribus seu oneribus realibus & personilibus sint immunes & liberi. *1. C. qui astate, vel professio se excusant. lib. 10. ubi Nicolaus de Neapoli, Luc. de Penna, & alij cõmoniter, & Gulielmus de Caneo in tract. de muner. nu. 9. & Bartolus in l. sed & reprobari. §. amplius, nu. 4. ff. de excusat. tuto. & copiose Horatius Lucius tract. de privilegijs scholarium in privilegio 57. profecto magis hoc Inquisitoribus debet tribui, cum causam si dei, quæ ceteris præponderat, tueantur. Tradit Joannes Roias tract. de heret. par. 2. nu. 421 facit optime textus in c. non minus de immunit. ecclesia. ubi sacerdotibus Aegyptijs, quia religioni, & cultui suorum idolorum seruebant, de publico alimoniam administrari, & ab omnibus oneribus liberos fuisse scribit Romanus Pontifex: quod multo magis in repub. Christiana competere debere sacre fidei censoribus exploratissimum est, faciuntque tradit Guido Pape decisio 83. incip. Die decima quarta. & alij, quos breuitatis causa omitto.*

g Quibus litteris sic obtentis, accedat ipse Inquisitor ad Archiepiscopum, &c. *Hodie qua ratione hoc fieri debeat, dixi paulo antea in principio huius commentarij: & conuenit penitus doctrina concilij Biturrensis c. 1. quam supra etiam citavi.*

h Poterit & merito, &c. in suo officio molestari, ac etiã retardari, & requiri ne amplius procedat. *Et causa in promptu est, quia nemo creditur delegatus, nisi probe delegationem. c. cum in iure, cum de offic. delegari. itaq; si virtute mandati sibi facti procedere cupit, mandatum ostendere, & probare debet, de quo vide quæ eleganter & copiose tradit Conradus Brunus lib. 1. de legationibus. c. 8.*

D Forma litterarum vocandæ officiales temporales, vt compareant coram Inquisitore.

**R**ater N. &c. ordinis Prædicatorum Inquisitor hereticæ prauitatis in terris talis domini, a sancta sede Apostolica delegatus, venerabilibus & dilectis in ciuitate tali, vicario, balliuo ac consilijs: Salutem, & mandatum nostris, immo verius Apostolicis, prompto animo obedire.

E CVM Propter inquisitionis hæreticorum nobis iniunctum officium, & etiam propter vestrum, habeamus super negotijs fidei vna vobiscum aliqua pertractare: ideo auctoritate domini nostri Pape, qua fungimur in hac parte, & iniuncti nobis officij, vos & quemlibet vestrum rogamus & requirimus per præsentem (quauis possimus præcipere & mandare) sed de prouidentia zelus vestri in causa maxime fidei minime dubitantes, quatenus omnibus negotijs prætermisissis, die tali, quæ cõputabitur talis dies, mensis talis, & horæ tali ad talem locum domus fratrum Prædicatorum talis loci certa ratione ad nos personaliter veniat.